



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. I. Quid sit conscientia practicè dubia, & quid in ea agendum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

Unde resolvuntur Casus sequentes.

I. Homo in tali casu constitutus, v.g. qui sibi mentiendum vel furandum putat, ut vitam proximi servet, etsi futurus sit perplexus, & ex hypothese necessario peccaturus, necessitate consequente, eò quod stante conscientia erronea, non possit effugere peccatum, absolutè tamen & simpliciter non peccabit necessariò, quia nec sequi talem conscientiam debet, nec contra eam facere; sed potest, & debet eandem deponere (cum sit error vincibilis, & culpabilis,) & tunc operari. Vide *Lay. hic l. 1. t. 2. c. 3. & Bec. in 1. 2. t. 1. c. 4. q. 7.*

II. Qui peccavit ex Conscientia erronea, etsi in rigore non teneatur, rectius tamen addet illam circumstantiam in confessione, dicendo, feci hoc vel illud, putans me facere contra preceptum vel obligationem gravem. *Cardin. de Lug. disp. 16. n. 503.*

CAPUT II.

De Conscientia Dubia.

DUBIUM I.

Quid sit Conscientia practicè dubia, & quid in ea agendum?

Resp. I. Dubium, est suspensio assensus circa objectum apprehensum. Idque est duplex. Speculativum seu Universale, quando in genere dubitatur, v.g. an contractus usurarius sit licitus

an die festo liceat venari, piscari, pingere, &c. Et Practicum, seu Particulare, cum dubitatur, an his circumstantiis, v.g. hoc festo, liceat mihi venari. Ex quo patet, quid sit Conscientia practicè dubia; Scilicet quæ practicè dubitat: Speculative dubia, quæ speculative. Ita *Navar. Laym. Sanch. Becan. t. 1. c. 4. q. 8.*

Resp. II. Qui cum Conscientia practicè dubia operatur, peccat; & quidem peccato ejusdem rationis ac speciei, cuius est peccatum, de quo dubitat. Ita *Sanch. Bon. t. 2. d. 2. q. 4. p. 7.* Ratio prioris est, tum, quia is exponit se periculo peccati: tum, quia quod non est ex fide, est peccatum, id est, quod non fit cum determinato iudicio conscientia esse licitum. Idq; verum est, etiam si speculative non dubitet v.g. Certus sum, absolutè licitum esse die festo docere; dubito tamen, an hic & nunc mihi liceat, pecco docendo. Ratio posterioris patet, tum ex ratione prima data; tum ex dictis de conscientia erronea: quia habet affectum ad peccatum ejusdem rationis. Unde si dubites, an sit mortale, peccas mortaliter: an sit furtum, committis furtum, &c. Si dubites, sitne peccatum, (sive mortale, sive veniale) ita ut malitia in confuso proponatur, dicit *Vasq. 1. 2. d. 529. c. 3.* & alii, esse mortale; quod negat *Navar. Valent. &c.* vid. *Bon. Laym. l. c.*

Resp. III. Qui practicè dubius est circa aliquod opus; tenetur se resolvere. Et quidem non per solum affectum & voluntatem: (hoc enim non sufficere, rectè docet *Vasq. Sanch. lib. 1. mor. c. 9.* & alii communiter, contra *Cajet.*) quia adhuc expo-

neret se periculo peccandi : sed per motivum rationabile, quale est, 1. Ratio probabilis. 2. Exemplum bonorum virorum sine scrupulo sic operantium. *Sanch. Bec. l. c. 3.* Autoritas viri alicujus docti & pii. Quod si tamen dubium sine ratione & justa causa temerè conceptum esset, posset etiam sine nova ratione deponi. Et ita explicari potest Cajetanus.

Resp. IV. Si dubium oriatur ex obligationibus & præceptis contrariis, v. g. utrum quis die festo teneatur apud ægrotum manere omisso sacro, an verò sacrum audire tenetur se resolvere, & prudenter judicare, hic & nunc alterum obligare, & alterum sibi licitum esse: alioqui enim exponet se periculo peccandi. Ut verò id rectè fiat, hæc servanda sunt. 1. Exquirat aliorum consilia, si potest. 2. Si non potest, v. g. quia solus est, vel quia ex confessione rem intellexit, consideret, quantum res & tempus fert, utrum ex duobus illis sit, vel videatur minus malum, idque eligat, & non peccabit, v. g. in casu dicto minus malum est, omittere sacrum, quàm deserere infirmum; quia de sacro audiendo, est præceptum affirmativum tantum, & juris humani, at de infirmo est negativum, & juris naturalis. *Sanch. Bec. l. c. 3.* Si utrumque videatur æque grave, utrum volet, absque peccato eliget, ob defectum libertatis. Quod verum est, etiam si culpabiliter in istam perplexitatem se conjecisset, modò de culpa præterita doleat. Ratio est, quia alioqui ad impossibile obligaremur, quod nec DEUS exigit; nec fieri potest, ideoque tum cessat obligatio minor: vel si
sunt

sint, aut videantur æquales, utralibet. *vid. Laym. l.c. c. 4. & 5. Fil. t. 21. c. 4. Bon. l.c. p. 6. n. 27.*

DUBIUM II.

Quid agendum cum Conscientia speculativè dubia.

Sunt quædam in Theologia opiniones dubiæ, & in utramque partem probabiles, quæ reddunt hominem speculativè dubium. Quæritur ergo hic, an, & quomodo ex talibus possit formari Conscientia practicè certa?

Respondeo. Absque peccato licet sequi opinionem probabilem, etiam alienam, & minus tutam (hoc est, quæ minus remota videatur ab omni specie peccati, quàm altera) relicta probabiliorè & tutiorè propria, seclusa tamen omni injuria, & periculo proximi, & dummodo opinio, quæ eligitur, adhuc sit probabilis. Est communis Doctorum, quoscitat & sequitur *Laym. & Bonac. t. 2. d. 2. q. 4. p. 9.* Ratio est, tum, quia qui sequitur sententiam gravi autoritate, vel non levis momenti ratione nixam, hæc enim dicitur probabilis) non agit temerè, sed prudenter, sequendo nimirum virorum prudentum, & artis peritorum consilium. Tum quia esset onus intolerabile, multisque scrupulis expositum, in omni re examinare quid sit probabilius & tutius.

Dixi in responsione, *etiam alienam*, quia parum refert, quod opposita sententia ipsi operanti videatur probabilior, speculativè: speculativum enim illud judicium, eo ipso quod fortè incertum & falsum sit, non debet esse regula operatio-